



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 10. Gemma miraculosa, inter nocentem & innocentem, vel obscuritate,
vel claritate, discrimen inspiciendum præbens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

§. XI.

Gemma miraculosa inter nocentem & innocentem, vel obscuritate, vel claritate, discrimen inspiciendum prabens.

S. Gre-
gor. Tu-
ron lib. 1.
de glor.
martyr.
cap. 13.

Quoniam Vasatensis urbis meminimus, inquit, opera precium puto, miraculum, quod in ea Dominus largitus est, memorare. Tempore, quo diuturna obsidione, vallabatur à Chunnis, omni nocte sacerdos, qui præerat, circuibat psallendo, & orabat, nec ab ullo auxilium, nisi a Domini misericordia requirebat. Hortabatur omnes orare, & non deficere, asserens humiles preces, calorū ianuas penetrare. Hostis verò in circuitu depopulabatur villas, domos tradebat incendio, agros vineasq, pecoribus intromisissis, vastabat: sed sacerdoti bono operi insistenti, celeriter, virtus diuina adsuit. Nam nocte visum est ipsi Barbarorū regi, quasi psallentes homines, in vestimentis albis, accensis cereis, circuire muros urbis, & indignans, ait: Quæ est hæc peruersitas, & securitas vana, ut obsessi quasi despectis nobis, canticis, nescio quibus, ac laudibus perstrepant? verè quia digni sunt perditione. Et statim misit ad urbem nuncios, interrogantes, quid sibi ista velint? At illi negant, scire se, quæ dicuntur, neq, de ijs aliqua persensisse. Alia verò nocte, vidit quasi glo-

si glo-

A globum magnum ignis super urbem descende-
 re: & ait, si contra nos hi obsessi contumaciter
 agunt, nec nos metuunt, vel caelestis eos ira cō-
 sumit. Cūmq; non videret vllum ab urbe in-
 cendium consurgere, misit iterum interrogare,
 qua essent, quae, viderat. Similiter negaue-
 runt, nihil se omnino vidisse. Tunc rex Gau-
 sericus ait, si haec isti nesciunt, manifestum est,
 quod Deus eorum adiuvat eos: & statim disces-
 sit à loco illo. Sacerdos autem, conuocatis ciui-
 bus, vigilias celebrat, & missarum agit festa,
 pro liberatione populi sui. Dum autem hac a-
 geret, respiciens sursum, vidit super altare,
 quasi de camera templi, cadere tres guttas, æ-
 quales magnitudine: claritate, candore crystal-
 lum vincentes, cūmq; omnes cum admiratione
 & stupore vehementi intenderent, easq; nullus
 auderet attingere, Petrus quidam presbyter,
 qui ut res ipsa adserit, magni meriti erat, ex-
 hibita argentea patena, guttas colligere nititur:
 quae dum per altare vago cursu rotantur, de-
 fluentes in ipsam patenam statim in se coniun-
 ctæ, quasi vnã gemmã pulcherrimã effe-
 cerunt: patuitq; euidenter ratione, contra ini-
 quam & Deo odibilem Arianã heresim, quae
 eo tempore pullulabat, hac acta. Agnitum est,
 Sancta Trinitatem in vna omnipotentia aqua-

litate annexam, nullis garrulationibus posse
 disiungi. Tunc gaudens populus, & intelligens
 munus sibi indultum fuisse diuinitus, conferens
 aurum gemmasq; preciosas, crucem fecit, in
 qua gemmam statuit. Sed protinus omnes re-
 liqua gemmae hac accedente ceciderunt. Tunc
 Pontifex intelligens, non esse consortium cale-
 stibus cum terrenis, fabricata cruce ex auro
 purissimo, eam gemmam media intercapedine
 locat, & populo adorandam prabet. Nec mo-
 ra, fugato, ut diximus, hoste, ciuitas est libe-
 rata. Iam ex hoc multi infirmi hausto vino,
 vel aqua, in qua gemma abluitur, protinus sa-
 nitati redduntur. Deniq; cum adorata fue-
 rit, si à peccato est homo immunis, & ipsa ap-
 paret clara: ceterum si ut plerumq; adsolet,
 humane fragilitati, aliquid detulerit criminis,
 tota ei videtur obscura: miramq; prabet discre-
 tionem, inter innocentem & noxium, cum vni
 atra, alteri monstretur splendida.

§. XI.

*Acherontica simia speculorum sortes imitata
 quàm in grandia pericula stolidos mor-
 tales conijciat?*

Hec talia iudicia sua Deus potest & nunc,
 & solebat olim ingemmis Ephod, velut in-
 scribere; solet autem etiam emulari Sathan.